

JOACHIMI PAULI STEGER.

SCLAVONI PETRO-VARADINENSIS.

DISSERTATIO .

INAUGURALIS MEDICA

DE

T I N E A .

QUAM

Annuate Incluta

FACULTATE MEDICA

IN CELEBERRIMA AC REGIA UNIVERSITATE

B U D E N S I

Pro laurea Doctorali, Privilegiisque Doctoralibus, per Regiam Universitatem Budensem conferri solitis, legitime impetrandis

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

submitta.

DISPUTABITUR IN UNIVERSITATIS


PALATIO MAJORE.

DIE MENSIS

M. D C C L X X I I .

B U D Æ ,

TYPIS CATHARINÆ LANDERER, VIDUÆ.



THESES.

I.

Fructus horæi sæpe falso pro dysentericæ epidemicæ causa habentur, imo frequenter ab ea præservant.

II.

Neque eis vinum, ut vulgo putatur, sed aquam potius superbibere convenit.

III.

Phrenitidis genuina definitio adhucdum desideratur.

IV.

Ex solo dolore fixo in parte quadam interna, etiam cum febre conjuncto, de præsentia inflammationis concludere justo non possumus.

V.

Gargarismata in anginâ cyananche dicta, minime tuto adhibentur.

VI.

Rifus Sardonicus certum Paraphrenitidis signum non est.

VII.

Variolis non necessario unusquisque corripitur debet.

VIII.

Tametsi contagium variolosum semper unum idemque, effectus tamen sæpe longe dissimiles edit.

IX.

In doloribus colicis etiam inflammatoriis necessitas V. Suis expulsu æstimari nequit.

X.

Hauftus aquæ frigidæ jam causare, jam curare colicam potest.

XI.

Petechiæ nigræ et exitiales et salutare esse possunt.

XII.

Opium in Ileo, etiam præsentem inflammatione, factis prius sufficientibus evacuationibus, sæpe unicum remedium est ad vomitum sistendum.



T I N E A.

D E F I N I T I O.

Tinea sunt crustæ scabiosæ vel ficcæ vel minimis osculis saniem plorantes, univcrsum capillitium insidentes.

S P E C I E S.

1. *Vera* seu *crustosa*, ubi crustæ sunt ficcæ, viridescentes, cineræ, vel nigricantes.

2. *Achorosa* seu *ulcerosa*. „ Hæc „ ulcera, inquit P. FORESTUS (a),

(a) Obs. et cur. med. L. 8. Obs. 17 Schol.

„ in cute capitis ab ÆGINETA et aliis
 „ Græcis Auctoribus *achores* dicuntur,
 „ ex quibus glutinosa sanies defluit,
 „ tenuissimis foraminibus cutem perfor-
 „ rantia. Hoc notum mali genus no-
 „ stra ætate a tinearum in vestibus simi-
 „ litudine capitis tineas appellari MAR-
 „ CELLUS protulit. Veluti enim illæ
 „ multo eoque tenui morfu et erosione
 „ vestes perforant, sic hæc capitis ul-
 „ cera cutem: quod etiam HALY ABBAS
 „ imitatus *tineam* hoc malum appellat,,

C A U S Æ

I. P R O X I M A.

Miasma peculiare hic subesse aliqui
 (b) volunt; sed num ab achoribus et
 crusta lactea diversum? Namque haud
 raro achores in tineam degenerant;
 præterea cum crusta lactea sub lactatio-
 ne, achores vero brevi post hancce
 adveniant, veri est simile, tineam acho-
 res ac lactumina ab similibus causis pro-
 ficisci.

(b) PLECK doct. de morb. cutan. p. 72.

II. REMOTÆ.

1. *Ætas tenera*, potissimumque jam post ablaetationem, teste M. ETTMÜLLERO (c); tametsi adulti etiam visi sint, maxime per contagium, hoc malo laborasse. Nubilis jam erat SCULTETI (d) virgo, nupta vero A. THONNERI (e), quinquagenaria denique LENTILII (f) ægra, tinea omnes fœdata.

2. *Achores* neglecti vel perperam tractati, velut in puella BARNSDORFFII (g), puerisque GOHLII (h) et ZACUTI (i).

3. *Contagium*. Tineam interdum contagiosam esse et M. ETTMÜLLER (k) notat, et I. I. WEPFERI (l) casus docet.

(c) Opp. T. 2. P. 1. fol. 1097.

(d) Vide infra No 4.

(e) Vide curat. chirurg. No 6. f);

(f) Vide infra No 4.

(g) Vide curat. chirurg. No 6. a).

(h) Vide *Achores* prognos. No 3. f).

(i) Vide cur. chirurg. No 6. b).

(k) l. c. p. 1098.

(l) Vide curat. chirurg. No 6. g).

4. *Metastases* fani vel morboſi. Apud
 R. LENTILIUM (m) „architecti uxor
 „ 50 annor. eryſipelatoſis affectibus ac
 „ defluxionibus valde obnoxia fonticu-
 „ lum ſibi fieri curavit in altero bra-
 „ chio; ſed cum ligaturam ſtrictiorem
 „ vel pati nollet, vel non poſſet, fon-
 „ ticulus loco ſemper ceſſit, et alibi,
 „ quam poſitus erat, consolidatus deni-
 „ que fuit, cum eum per aliquot annos
 „ geſtaſſet. Ab eo tempore caput exedi-
 „ tur quali puerili tinea ſumma cum
 „ moleſtia „ Apud eundem (n) „ ado-
 „ leſcens annor. 18 dolore lumborum
 „ per ſeſtre affictus abſceſſum deni-
 „ que patitur in alterutro lumbo, qui
 „ poſtquam materiæ purulentæ vim non
 „ temnendam profudit, ſolis externis
 „ fuit ſolidatus. Tempore haud longo
 „ poſt caput totum ſædiſſima tinea oc-
 „ cupavit „. Purgatus, illito capiti
 unguento (o), convaluit. Porro I. SCUL-
 TETI (p) „ virgo . . . anno ſuæ ætatis

(m) Eteodr. med. pr. A. 1709. Decembr. 7^{ma}
 p. 1278.

(n) Miſcell. med. pr. P. 1. p. 107.

(o) Vide curat. chirurg. No

(p) Anam. chirurg. Obſ. 96.

„ 12^o ob consuetam narium hæmorrhagiam suppressam nimio mensium fluxu laboravit, eoqve restricto de horrenda capitis tinea et molestissima sinistri cubiti convulsione (quem extendere minime potuit) valde con-
 „ quessa est. Purgato igitur corpore per pilulas de Nitr. TRALLIANI repetitis vicibus assumptas, et promotis iterum menstruis, caput inunxit quotidie semel linimento de Amiantha, quod ex hist. lap. et gemmar. A. BOE-
 „ TII (q) ipse paravit, cubitum vero bis unguento EVAE seu polychresto SPIGELII... quibus... ægra brevi felicissime curata fuit „. I. P. WOLFFIUS (r) curandum habuit puerum octennem, cui 4^{ta} sponte delinens capitis tineam post se reliquit. Huic supervenit enormis cephalalgia, istiqve ingens narium hæmorrhagia cum purpureis toto corpore maculis ac vesica prope dextram aurem livida, nucem avellanam æqvante, apertaqve sanguinem fundente, quem tineæ quoque ulcuscu-

(q) L. 2. C. 204.

(r) Act. nat. cur. Vol. 5. Obs. 30.

la tunc pristini puris loco plorabant, simulque puer hæmatemesin patiebatur. Hæmorrhagiis omnibus arte repressis, tineaque rursus pus sudante, maculæ jam decrecentes etiam revocata per TRAM & □fatam cum essentia Succin. et alexipharmac. STAHLII diaphoreti evanuerunt.

5. *Cachexiæ*, ut est venerea, in qua „ præter luis & signa adsunt cru- „ stæ albæ circa tempora et frontem, „ et in malo iuveterato maculæ et pu- „ tulæ & frontis, atque herpes vari- „ naceus aurium „ (1).

6. *Hæreditariæ* aliquando est tinea? Dubitare, nec abs re, videtur A. C. LORRY (2); etenim „ qui fiat „ (quærit ille), ut matre sana et patre „ sano viderim universam progeniem „ similis deturpari sceditatibus „ ?

S Y M T O M A T A (3).

1. *Pærit* primum caput; dein
2. *Furfures* copiosi decidunt, donec

(1) PLENER I. c.

(2) De morbis cutan. P. I. S. 2. C. 4. art. 5. p. 464.

(3) ETTMÜLLER I. c. p. 1093. LORRY I. c. p. 475.

3. *Pustulæ* hinc inde erumpant, quæ suppuratæ in

4. *Ulcuscula* abeunt, vel in

5. *Crustas* squamosas siccas.

6. *Tumores* glandularum colli fere semper tineam comitari solent.

7. *Scabies* fœda totius corporis non raro accedit.

PROGNOSIS.

1. *Diuturna ac pertinax* est plerumque tinea vera; etenim „ vulgo in „ tantum morbus audit, inquit I. „ STORCH (x), verum ita est com- „ parata, ut primis in annis occipiens „ ad extremos usque durare queat, ra- „ roque reperire est exemplum tinez „ sponte sua sanatæ „. Quinquennio eam juvenis STÖRCKII (y), 14 fere annis VALESCI (z) juvencula, 18 annis puella STOELLERI (a), 20 annis

(x) Obs. clinic. Ann. 2. Sept. art. 5. No. 1, p. 425.

(y) Vide curat. pharmac. No 3.

(z) In FORESTO l. c. L. 8. Obs. 22.

(a) Vide curat. pharmac. No 3.

juvenis STORCHII (b), ac 22 annis MARQUETTI (c) ægra, ac diutius forsau etiam ejusdem Veitalis circumtulit.

2. *Effectus* pro varia mali specie sunt varii:

a) *Ulceræ* profunda aut serpentina. M. G. PURMANNUS (d) meminit binarum fororum, quæ multis annis tineam usque adeo habebant, ut uni earum ulcera magna ad cranium usque patuerint cum carie ejusdem, alteri vero tineæ ita extendebatur, ut totum collum usque ad humeros, ipsamque frontem ac nasum inteceret. Ambæ tamen ope dropacifinorum convaluere. SWIETENIUS (e) „dum (ait) in in-
 „tantibus eroditur cutis acri sero, il-
 „lud exsiccatum, in primis in capi-
 „te, densas crustas facit, sub quibus
 „collectus ichor brevi corrumpitur,
 „uti summus fœtor testatur, et pro-
 „fundas erosiones facit, &c. Servo
 „bregmatis ossa infantis, erosa fere

(b) l. c.

(c) Vide curat. Chirurg. No 6. d).

(d) Chirurg. curios. P. 1. C. 14. p. 93.

(e) Ad p. 585. p. m. 35 R. T. 2.

„ penitus ab hoc malo , et quæ ossa ,
 „ licet jam mundata fuissent , per pluri-
 „ mos menses eundem foetorem spar-
 „ gebant , quem in vivo adhuc infan-
 „ te fere intolerabilem perceperant
 „ omnes , qui adfuerunt „

b) *Calvities*. Hanc quidem nonnulli non tam tineæ , quam dropacibus potius applicatis , imputabant , velut F. PLATERUS (f) etiam ; eo quod cute per eos avulsa aliam callosam ac cicatricosam , capillis transmittendis inhabilem , subnasci , crediderint. Sed puellæ STÖLLERI (g) nullas dropaces expertæ nihilominus caput omni mense a tinea decedente calvissimum fiebat. Et STORCH (b) recte observat , capillos a tinea pessumdatos , etiam hac sublata , non amplius recrescere ; contra vero non læsos ab eadem , tametsi dropace radicitus evellantur , denuo senim repullulare , adeo ut id ipsum sit indicium a posteriori , utrum tinea fuerit vulgaris aut maligna.

(f) Obs. med. L. 3. p. 579.

(g) Vile curat. pharmac. No 3.

(b) l. c. p. 426.

c) *Recidiva* facilis, si non rite malum tractetur, v. g. solis topicis externis. RIEDLINI (i) puer 14 annor. per aliquot annos tineæ obnoxius, ubi eam depulisset, toties deterius semper recidivabat, ac demum scabiem simul nactus est. P. FORESTI (k) adolescenti 13 annor. septies idem accidit, usque dum plene fuisset sanatus. Idem in compluribus orphanis observatum fuisse narrat I. STORCH (l).

3. *Retropulsa* gravissimos alios morbos, non raro letales, causat. Sic F. HOFFMANNUS (m) „ in puero ex „ tinea capitis per butirum majale, „ cui creta admiscebatur, retropulsa „ notavit insequentem graviolem oculorum inflammationem „. ETTMÜLLERUS (n) „ curavit puellam 4 „ annorum, quæ laborabat tinea capitis, quæ evanescente superveniebat „ epiphora oculi dextri cum sensili ocu-

(i) Curar. medic. millenar. No 541.

(k) l. c. Obs. 17.

(l) l. c.

(m) Diss. de remed. benignor. abusu et noxa §. 35. Opp. omn. T. 6. fol. 336.

(n) Obs. 303. Opp. T. 2. P. 2.

„ li dextri atrophia. Hac cessante ac-
 „ cedebat febricula lenta, quæ omni
 „ vesperi exacerbabatur cum continua
 „ in somnum propensione . . . Puella
 „ erat intractabilis, omniaque remedia
 „ respuebat: hinc applicabat velicato-
 „ rium nuchæ ex empl. citrino liqve-
 „ facto cum cantharidibus, quod ingen-
 „ tem vesicam excitabat cum copiosis-
 „ simo feri profluvio; unde altero die
 „ omnis febris et somnolentia evanes-
 „ cebat, epiphora cessabat, et 3^a die
 „ restituebatur „ E. G. BALDIN-
 GER (o) observavit in femina a capitis
 tinea retropulsa lienteriam ac diuturnam
 diarrhœam cum universali extenuatio-
 ne, febre, delirio, spasmo œsophagi.
 Nihil optimis proficientibus remediis,
 ægra post iram causatam desperabunda
 se submerlit. Cadaver inspectum nil us-
 piam vitii exhibuit. Apud I. A. GEN-
 SELIUM (p) „ puer tinea affectus per
 „ refrigerantes fomentationes a vetula

(o) Von den Krankh. einer Armee 3 Th. 2 Ab-
 schn. 10 C. p. 347.

(p) Annual. Vratisl. Tent. 2, A. 1717. Decemb.
 Cl. 2. §. 6. p. 395.

„ curatus corripiebatur doloribus ca-
 „ pitis acutissimis 6 menses durantibus,
 „ subsequentiibus convulsionibus epile-
 „ pticis letalibus „ . I. LANZO-
 NUS (q) vidit adolescentem acri tinea
 cum fœda totius corporis scabie labo-
 rantem, qui topicis utraqve depulsa in-
 cidit in te rim malignam cum delirio,
 die 7^a letalem. Ita et apud H. SA-
 XONIA (r), mulier cretris lotionibus
 tineam sanans in cephalalgiam ac febrem
 continuam letalem incidit. Dextrum
 cerebri hemisphærium cum membranis
 erat putridum ac citrino ichore refer-
 tum. Apud I. STORCHIUM (s) puer
 trimulus post tineam evanidam in pleu-
 ripnevmoniam est lapsus, a qua elucta-
 to caput prior invalidus morbus. Forte
 et ejusdem (t) viro tinea retropulsa fe-
 brem petechialem letalem, ni hæc
 illam aboleverat, accivit. Tremorem

(q) M sc. nat. cur. dec. 3, ann. 9. obs. 113.

(r) Præl. pr. P. 1. C. 1. PONEI. sep. anat.
 L. 4. S. 1. obs. 44. §. 4.

(s) l. c. Mart. art. 3. No 5. p. 122 sq.

(t) Ibid. ann. 3. Septemb. art. 1, No. 10
 p. 545. sq.

inde vidit, DURETUS (u), amaurosin alii (x), baryecoiam vero A. DUNCAN (y). A. C. LORRY (z) „ vidit „ tineosam virginem ab ipsa profus „ sanari ; successit insania immedicabilis „ .

CURATIO.

I. INDICATIONES.

1. Crustæ emolliendæ, emollitæ auferendæ.

2. Ulcera subtus depuranda, consolidanda.

3. Humores a putri resorpto et vitis corrigendi.

4. Solida roboranda.

5. Recidiva præcavenda.

At „ decrefcente luna commode „ instituitur curatio „ inquit M. ET T-MÜLLERUS (a).

(u) Vide cur. chirurg. No 8.

(x) Vide hist. amauroleos §. 38 a).

(y) Vide curat. chirurg. No 4. e).

(z) l. c. p. 467.

(a) Opp. T. 2. P. 1. p. 1101.

1. *Catbartica*, præfertim ξ lia, perinde ac in achoribus (b) dictum est, varia se utilitate commendant (c); præfertim ubi a sanato malo vel recidiva vel ægritudo alia est prævertenda. Ideo etiam SWIETENIUS a I. C. RUEFIO (d) eam ob rem consultus respondit in hæc verba: „bis in mense lene
 „ purgans detur, reliquis diebus blandum infusum fl. sambuc. et balneum pedum bis in hebdomada. Sic sensim affvescet corpus per alvi et urinæ vias pellere illa, quæ nocerent relicta, dabiturque occasio, ut dilatata vasa cutanea in capite sensim ad pristinam capacitatem redeant,„

2. *Mercurialia*, tum quod purgent, tum quod acrimoniam, præfertim veneream, si ab hacce malum profectum est vel fovetur, doment. Sic narrante I. G. H. KRAMMERO (e) BERNEGGERUS ... in nosodochio imperiali, quod „Mos-

(b) Vide eorum curat. pharm. No 1.

(c) FORESTUS l. c.

(d) Consult. medic. p. 57.

(e) Commerc. Norimb. T. 5. A. 1735. H. 31: art. 2. p. 258.

„ baci est, duas nuper capitis tineas,
 „ nullo prorsus topico, sed solo § no
 „ dulci singulis diebus ad gr. j cum
 „ millepedum ὄσ sub vesperam adhibi-
 „ to, octonis autem diebus interposito
 „ purgante, curavit „. Huic prorsus
 analogum est, quod narrat G. H.
 VELSCH (f): generosissima „ Comes
 „ a FLEKENSTEIN tinea et alopecia
 „ correpta, purgata est pilulis § ii dul-
 „ cis § em viperinum sæpius ex vi-
 „ no saccharato sumpsit, lixivio Cyno-
 „ glossi caput abluvit, et pingvedine na-
 „ tricum German. illita convaluit „.
 Ideo hoc in morbo „ præ omnibus, in-
 „ quit M. ET TMÜLLERUS (g), § dul-
 „ cis ceu appropriatissimus convenit „.
 3. *Cicuta*. „ Juvenis 13 annor. ti-
 „ nea capitis pessima et contra omnia
 „ remedia rebeli jam per 5 annos la-
 „ boravit. Tandem dedit Ill. STÖR-
 „ CKIUS (b) decoctum rad. lapathi
 „ acuti et extractum cicutæ, et totum

(f) Miérom. Cent. 1. No 23. in Misc. nat. cur. dec. 1. ann. 4. app. p. 8.

(g) l. c. p. 1099.

(b) De Cicuta L. 2. C. 2. casu 36. p. 173.

„ caput bis quotidie decocto cicutæ,
 „ quod lacte fiebat, curavit lavari.
 „ Hac ratione intra 6 septimanas inte-
 „ gre sanatus est. Erat hicce juvenis
 „ antea pallidus, totus cachecticus,
 „ macilentus, et inani tussi, ac conti-
 „ nuo in pectore ardore afficiebatur:
 „ hæc autem symptomata usu cicutæ
 „ omnia evanuerunt „. Porro (i) „
 „ bini pueri ex eadem matre nati jam
 „ fere a nativitate turpissima tinea ca-
 „ pitis, et foedissima squammosa foeten-
 „ te scabie per totum corpus laborant.
 „ Multi medici, postquam fortia et
 „ efficacia alias remedia tentassent sine
 „ mali emendatione, hos miseros fato
 „ reliquerunt, et dimiserunt, quasi
 „ curari non possent. Dum mater
 „ eos... adduxisset, dedit statim ci-
 „ cutæ extractum, et sivit, ut totum
 „ corpus et caput quotidie bis lavare-
 „ tur saturato cicutæ decocto. Hæc
 „ adhibentur in 5 septimanam, et ma-
 „ lum jam multum minuitur, loca
 „ plurima pura sunt et nitida, abest

(i) Ibidem Lib. quo contin. experim. Cap. 31
 cas. 31. p. 61.

„ fœtor, et pueri longe meliori sani-
 „ tate fruuntur, et sunt alacres, et ad-
 „ est spes optima perfectæ curationis „
 Sed maxime omnium F. C. STOEELLE-
 RI (k) casus cicutam in cura tineæ com-
 mendat: puella duo de viginti annos na-
 ta, mendica, eufarca, ab infantia ti-
 neam achorosam passa, ex quo tempus
 catameniorum attingit, fluxu huc dum
 nullo secundo, sequentes tineæ periodi-
 cas vicissitudines est experta. Semper
 a nova ad plenam lunam totum caput,
 quoad capillatum esse deberet, crassa
 crassa humente, velut mitra, obduce-
 batur, quæ versus ultimam lunæ qua-
 dram usque adeo sensim secedebat, ut
 sub novilunium caput a tineæ profus
 vacaret, sed simul calvissimum, simile
 crudæ carni cuticula tenera obductæ, co-
 lore cancerum chelis nuper exutis co-
 ctum æmulans. Huic igitur ægræ, præ-
 missa cathartici, data ʒj pilularum extra-
 cti Cicutæ ad pondus gr. ij paratarum,
 ut sumat primum mane ac vesperi No j.
 et de triduo in triduum una pilula plus

(k) Beobacht. u. Erfahr. aus der innern u. auß-
 fern Heilkunst, & Beobachtung p. 3). 1777:

sumat. Præterea datus est sacculus plenus herba Cicutæ, ex qua prius succus pro Extracto est expressus, dein lentè siccata (cui majorem, quam cum succo siccata, vim pro usu externo inesse Auctor est expertus), pro aliquot cucuphis conficiendis, et identidem in ∇^a fervida exprimendis, ac prius abluto hac ∇^a sæpius capite diu noctuque gestandis. Unde puella sensim ita convaluit, ut mox medicationis initio tinea solito tempore fuerit levior, multis capitis locis intactis relictis, ac solito maturius etiam decesevit. Rubedo capitis undique disparuit, cutis evasit secundum naturam, densi succrevere capilli, ac demum catamenia justis periodis comparuere.

4. *Roborantia, adstringentia*, ubi laxitas vasorum capillatæ partis morbum fovet, sæpe auspiciato usurpantur, ut cortex, σ , &c. præprimis vero ∇^a σ les, quæ simul humorum acre diluunt et cum urina evehunt, velut in achoribus (1) vidimus.

(1) Vide eorum curat: pharmac. No 3.

B. C H I R U R G I C A.

1. *Rasura capitis*, idque quoties de-
 nuo capilli succrescunt, ut FORES-
 TUS (m) fecit: „li enim, ait ETT-
 „ MÜLLER (n), hi ipsi a sordibus ma-
 „ nantibus inviscantur, crustam tam
 „ densam inducunt, sub qua non so-
 „ lum cuniculos profundos agit sanies,
 „ sed etiam generantur copiosi pedi-
 „ culi, quorum moricationibus stimu-
 „ lati infantes scalpendo caput eo ma-
 „ gis malum exasperant, ac deterius
 „ reddunt „. Interea hæc etsi vera
 sint, tamen non sine circumspeditione
 caput est radendum, ut in achoribus
 videre est.

2. *Sanguinis missio* etiam interdum
 celebranda est. Sic RHAZES (o)
 „ erat (inquit) in capite et facie cu-
 „ jusdam tinea rufa, supra quam sus-
 „ pendi feci sangvisugam, et sanata
 „ fuit penitus „.

(m) l. c.

(n) l. c. p. 1100.

(o) Apud ZACUT, Princ. med. hist. L, 1, hist. 4:
 p. m. 15.

3. *Pediluvia* ad avertendos a capite humores a SWIETENIO commendari, alibi (p) jam dictum est.

4. *Lavamenta* capitis detergentia, crustas emollientia, ulcera consolidantia, &c. præsertim vero

a) *Tabacci decoctum* a nonnullis commendatur; sed interdum eadem, quæ a narcoticis, mala supervenire solent. Unde ETTMÜLLER (q) „in
 „ capitis tinea (inquit) graviori vulgi
 „ experimentum est lotio capitis ex
 „ decocto nicotianæ, ðis ve ejus in-
 „ sperio, sed pessimo cum consilio,
 „ cum ebrietatem turbulentam, anxie-
 „ tates præcordiorum, lipothymias,
 „ vomitus, copiosos secessus, et alia
 „ gravia symptomata interre solet.
 „ Conteratur BOYLE (r) et HEER (s),
 „ qui similem ebrietatem observavit ex
 „ ðe nicotianæ ulceribus capitis ma-
 „ nantibus insperio. Sic novi exem-
 „ plum de puero aliquot annorum, pe-

(p) Vide cur. pharm. No 1.

(q) l. c.

(r) Philos. experim.

(s) Tractat. de alfinthio p. 90.

„ diculis affecto, cui inunctum fuit ca-
 „ put unguento ex O^e nicotianæ para-
 „ to, additis aliis, quo ipso brevi post
 „ infans percipit angustias præcordio-
 „ rum, superveniunt purgationes cre-
 „ brioris supra et infra, una cum lipo-
 „ thymiis repetitis. Causa omnes la-
 „ tebat. Tandem deveniebant in su-
 „ spicionem unguenti, quod abluunt
 „ et cum linteolo detergunt, et omnia
 „ cessarunt supra dicta symptomata,,.

b) *Hellebori albi* decoctum (t) ean-
dem requirit circumspeditionem.

c) *Cicutæ* decoctum, de quo J.
 QVARRIN (u) „ juvenis (ait) 20 anno-
 „ rum tinea laborans varia remedia fru-
 „ stra adhibuit. Petiit postea nosoco-
 „ mium. Dedi tunc purgantia, caput
 „ decocto tabaci lavabatur; sed incas-
 „ sum. Substitui dein decoctum cicu-
 „ tæ; sat brevi malum fere integre ce-
 „ debat. Timens autem æger, ne ser-
 „ vitium perdat, nosocomio exivit.
 „ Brevi iterum malo aucto me accessit:
 „ experimenti causa denuo eum in no-

(t) PLENCK doctr. de morb. cutan. l. c.

(u) Tentam. de cicuta Cap. 2. Cas. 9. p. 39.

„ socdium recepi, et cicutæ lavatio-
 „ ne integre sanavi. Bibit simul quo-
 „ tidie lioram decocti bardanæ; et cum
 „ adeo celerem mutationem vidissem,
 „ purgans sæpius exhibui, ne materia
 „ acris forte resorpta malum aliud in-
 „ duceret „.

d) *Aeris fixi* quoque magna est vis ad tineam curandam, quam bis saua- vit J. JASSOY (x) sequenti miscela:

℞. Salis tartari gr. xv. in ∇^æ
 ℥iij soluta

Spirit. vitriol. gtt. 40 in
 ∇^æ ℥iij dilutas. M. D. pro tineamane
 et vesperi lavanda. Bini pueri fratres
 tineam vermesque passi ei obtigerunt
 curandi, unus 13 annorum cum ventre
 inflato, pupillaque diffusa, vespertina
 oris siccatate, ac turbato somno, qui
 cum a cathartico multos ascarides eges-
 sisset, ab usu MR^æ HULMII per 17
 dies die 100 duos itidem lumbicos mor-
 tuos excrevit; sudavit multum a MR^æ:
 cumque tineam quoque miscela ante di-

(x) Diss. sistens tentam. quæd. cum aere fixo
 in ægris instituta (+to Gætungæ 1778.)
 §. 6. Obs. 5 & 6. p. 27.

eta lavaret, illa siccata evanescebat. Alter 2½ annor. tinea, verminosaque febre laborans usu MR^x HULMI a febre per fluxam alvum et sudores obortos citra vermium excretionem convaluit; tineam vero miscela ante dicta siccando abegit.

b) *¶ subl. in ∇^a s. q. solutus.* „ Con-
 „ tumacissimus morbus, inquit ZACU-
 „ TUS (y), tinea est, qua cum 7 an-
 „ norum spatio juvenis laboraret, et
 „ varia universalia topicaque ex elle-
 „ boro, sulph. vivo, auripigmento,
 „ calce viva, Σe , ¶^{10} , et aliis vio-
 „ lentis conflata experiretur incassum,
 „ ∇^a calida, quantum ferre poterat,
 „ in qua prius sublimatum infundeba-
 „ tur, singulis diebus bis toto corpore
 „ lotus (prius tamen belle purgato
 „ corpore) sanitatem obtinuit. Erat
 „ enim quantitas sublimati Zij ad ℥ij
 „ ∇^x. Hoc enim medicamentum pro
 „ hoc Herculeo debellando morbo ce-
 „ teris est præstantissimum. Experie-
 „ ris et miraberis effectum; et non
 „ cesses lavare caput, quousque ulcera

„ omnino mudentur et rubescant „
 Pulchre id confirmat observatio A.
 PUNCANI (z) : puellæ sexenni
 a 2. 3ve annis tumidum abdomen
 nactæ hyeme ineunte A. 1776. ca-
 pillatam capitis plagam tinea invasit,
 duransque ad ætatem usque, quæ ma-
 gnum ægra humoricum excrevit, sponte
 iterum decessit, succedente paulo post
 obauditione, quam tinea postliminio re-
 versa ne minuit quidem, et 24^a Januar.
 1777 totum caput sicco hoc exaucte-
 mate crustoso, indolente, nec prurien-
 te, tectum erat. Cumque et alvus et
 appetentia secundum naturam esset, de
 matutina tamen vomituritione ægra sæ-
 pius querebatur. Et quia nec morbi
 causa erui potuit, nec ulla remedia
 hætenus adhibita fuerunt, datum

R. ℞ in succo. corr. gr. j. solve in
 ∇^x ̄ xij, adde

Micæ pauis q. s. pro cata-
 plasmate, ter quavis hebdomade locis
 tineosis applicando. Cujus ab usu us-
 que ad 1^{am} Febr. variæ tineæ portio-
 nes deciderunt. Aberat pruritus. Ca-

cataplasma continuatum, ac per biduum data mane salis GLAUB. $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$ in aquæ $\mathfrak{z}\mathfrak{vj}$ alvum probe movit. Abhinc ad 8 Febr. tinea plerisque e locis decessit. Sed cum cataplasma capillis firmiter adherens sub sui ablatione dropacis instar magnos causaret dolores, ejus in locum, dato ante per biduum sale GLAUBERI, sequens unguentum adhibitum :

℞. Viridis æris $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$

Axung. porc. $\mathfrak{z}\mathfrak{ij}$. M. F. ungv. cujus $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$ quotidiè m. et v. locis affectis illinebatur usque ad 22^{am} Febr. qua die nil amplius de tinea visebatur, nec amplius abhinc rediit. Perinde habenda est.

f) ∇^a Phagadenica, præsertim vero venereo „ in malo iuveterato lotionem cum ∇^a phagadenica et penicillationem crustarum cum ∇^a caustica pro condylomatibus utilem deprendit „ J. PLENCK (a).

g) Urina humana. „ Facit huc, „ inquit M. ETTMÜLLERUS (b), de „ coctum herbæ et radicis malvæ cum

(a) l. c.

(b) Opp. T. 2. P. 2. p. 657.

„ pis in urina humana, quod pro
 „ lotione capitis infantum in tinea
 „ etiam gravissima, item surfuratione
 „ capitis, multum valet „.

h) *Thermæ*, ut Kukulsienses, te-
 ste C. V. KIRCHMEYER (c), qui re-
 fert mendicum senem, cum fortuito
 penes has aquas transivisset, bis loto iis-
 dem capite a tinea totum caput obuden-
 te fuisse liberatum. (Fides penes Au-
 ctorem).

5. FOTUS cataplasmatum, &c. ut
 sunt

a) *Caro suilla salita*. Etenim „ ti-
 „ nea in puello nobili pileolo ex car-
 „ ne suilla salita imposito brevi percu-
 „ rata est Patavii „, teste G. H. VEL-
 „ SGHIO (d).

b) *Illecebra seu Sedum acre minus*,
 de quo MARQUETUS (e) „ inter va-
 „ rias (inquit) experientias, quas in
 „ mea plus quam 40 annor. praxi feci,
 „ reperi plantam, quæ contusa et par-
 „ ti affectæ imposita tineam certo cu-

(c) *Uralter kukusbruna* p. 88.

(d) *l. c. Cent. 2. No 63. p. 41.*

(e) *Neuste Heilkunde* p. 263.

„ rare debet. Est illa leniter caustica,
 „ quæ absquè dolore omnes crustas
 „ aufert, scil. illecebra seu sedum acre
 „ minus flore luteo. Experimentum
 „ numerosis in ægris captum nunquam
 „ fefellit „

6. *Litus* varii a variis laudati, inter quos

a) *Arsenici* ∇ *sa solutio* (funestum remedium) primum occupet locum, non ut eo utare, sed ut cavere noris. VALESCI (f) miles nepoti 12 annorum tineam inveteratam nullisque cedentem remediis passo cum illevisset unguentum ex arsenico, sulph., ærugine, semine sinapis, mane postero puerum in lecto reperit mortuum. Perinde F. A. BARNSDORFFIUS (g) narrat, puellam 11 annorum ab infantia cacochymicam, et scabiei humidæ cum tumoribus œdematosis obnoxiam, tandem achores etiam contraxisse, qui post varia frustra adhibita degenerarunt in tineam periude ad remedia rebellem, quorum ultimum tan-

(f) Apud FORESTUM l. c. Schol. ad Obs. 25.

(g) Annal. Vrat. Tent. 33. A. 1725. Jul. Cl. 4. art. 22. p. 114.

dem fuit arsenicum fixum per deliquium solutum : hoc ubi ubi mater illinivit, mox cum crustis effervescerebat admodum, et hæc continuo desquamabantur, perque capitis integumenta multus ichor cum sanguine erumpebat. Post 36 liquoris intra pauca minuta capiti illitam puella valide nauseare, vomere, cum enormibus ventris cruciatibus dejicere, cœpit: secuta syncope, tum convulsiones, et e sanitate ad mortem intra 4 horas transitus. Tutiora ergo sequenda, ut sunt

b) 9°. *Bombacinum* apud ZACTUM (b): „ laboraverat (narrat ipse) „ puer quadrimus ulceribus adeo pertinacibus in toto capite, ex quibus „ melleus quidam humor ita acris et „ mordax continuo emanabat, ut sub- „ jectam cutem exederet. Tandem „ temporis decursu ita siccata sunt ul- „ cera, ut tota cutis depilis testacea „ facta in lapideam naturam fere con- „ verteretur. Plurima facta auxilia, „ quæ tum humorem per alvum vacua- „ rent, tum scirrhosos capitis tumores

„ comminuerent. Cauterium occipiti
 „ affixum : caustica medicamenta super
 „ ulceratas partes impouta : hirudines
 „ ex intervallis supra cutis superficiem
 „ applicitæ , quarum feculentus san-
 „ gvis est exhaustus : ablutum caput de-
 „ coctis , quæ emollirent et discute-
 „ rent. At rebelle malum solum im-
 „posito supra cristas duras oleo bom-
 „ bacino succubuit „.

c) °°. *Bufo*. I. C. BARICEL-
 LUS (i) „ quendam achoribus tineis-
 „ que per multos annos turpiter affe-
 „ ctum , cui varia fuerant incassum ap-
 „ plicata remedia , præmissio cathartico,
 „ linimento ex oleo , in quo ad exa-
 „ ctam coctionem bufo seu rana terre-
 „ stris ebullierat , optime curavit ;
 „ quippe simplici hoc remedio per pau-
 „ cos dies in capite utens sanus et ca-
 „ pillatus factus est „. Narrat quoque
 KÜHNEN apud J. J. FRITZE (k) a Præ-
 bytero quodam Italo repertum fuisse re-
 medium , quod tineam intra aliquot
 dies profligabat ; ullque aliud fuit , quam

(i) Hortul. genial.

(k) Medic. Annalen 1 Band. p. 311.

♁ bufonum calcinatorum, tineæ inſpergendus. Eandem oleo lacertarum viridium perinde parato energiam inelle teſtatur P. FORESTUS (l).

d) ♀ *lia unguenta*, ex axungia et ♀ præc. rubro parata sæpe mira patrant. MARQVETUS (m), præter ſedum acre alibi (n) dictum, celerius certiusque etiam iſto remedium ad tineam reperit, ſcilicet

℞. Axung. porc. infulſæ $\frac{1}{4}$ lb.

♀ præc. rubri ʒj. M. F. Pomata, quæ, abraſis prius capillis, quovis veſpere ope linteoli tineæ imponatur, caputque mitra e cœrulea charta tegatur, dato ſimul quovis octiduo purgante hydragogo. Hoc remedio Auctor numerosos cum infantes tum adultos a tineâ liberavit, quos inter 6 pueros, et puellam a 22 annis tineâ affectam, tum Veſtalem 49 annor. cujus caput tineâ oculorum auriumque tenuis inſedit. Plus centies hoc ſe remedio uſum fuiſſe refert, quod brevi tempore

(l) l. c. Obſ. 21.

(m) l. c.

(n) Vide præced. N. 5. b).

morbum radicitus absqve omni dolore
 i. e. cito, tuto, jucundeque sustulit.
 Sic 1774 die 25^a Julii filiam fabri lig-
 narii curandam suscepit, tinea glandu-
 losa ad omnia rebelli a 22 annis labo-
 rantem. Post præmissum catharticum e
 ꝑ dulc. ꝑss, ꝑ Cornach. ꝑss cum pulp.
 Cassiæ q. s. et rasos capillos, omni ves-
 pere pomata dicta capiti admota est,
 crustæque siccatae dein novacula abra-
 debantur: porro quovis 3^o die dabantur
 ꝑ ii dulc. gr. x. xij. ac pro potu com-
 muni ptisana e vulnerariis cum depuran-
 tibus sanguinem. Ita post 5 vel 6 men-
 ses ægra plane convaluit. Eadem tere
 svasit jam ante MARQVETUM C. TRI-
 OEN (o) dicens: „ quantum emolu-
 „ menti a ꝑ^{io} ceperint tineosi, plus se-
 „ mel expertus sum, vel in iis, qui
 „ jam capillitii evulsionis damnati,
 „ quorum detonsa coma, favis achori-
 „ busque pure purgatis, seqvente luc-
 „ curri medicamine: R. ꝑⁱⁱ e cinnab.
 „ rediv. ∇f. l. q. extincti ꝑ ij. quæ
 „ lento in fictili vase evaporentur igne,
 „ spatulaque moveantur lignea, donec

„ liquidi mellis adipiscantur consisten-
 „ tiam , quum iis axungiae procinae
 „ membranulis purgatae addantur ꝑxx.
 „ per vices et paulatim ac placide in-
 „ ter agitandum ad tabellarum duritiem
 „ coquantur, deinde in lembos charta-
 „ ceos gelida saturos , marmorique
 „ gelido impositos effundantur ; usus
 „ sequens esto. Hujus massae liquecat
 „ parum , Indiesque bis inungatur ul-
 „ cusculis , quae mitra e vesica porcina
 „ vel concinnata vaccina tegenda. In-
 „ terim detonsa coma echino totum
 „ quantum caput, postquam semel ite-
 „ rumque fuerit inunctum , ac sapone
 „ Veneto ablutum, luteo absterfum ca-
 „ lido , atterendum, methodoque praes-
 „ scripta unguento muniendum. Al-
 „ tero vespere sequentium ꝑum unicum
 „ adsumat aeger :

R. Fl. sulph. ʒj.

Bacc. Lauri

Rad. Aristoloch. fabae. aa ʒij

Ocul. 69.

ʒ diaphor. aa. ʒss.

ʒ dulc. gr. x. M. ac pro

„ pueris in decem, pro aetate provectio-
 „ ribus in 7 vel 8 dividantur doses

„ aqva-

„ æquales, quæ pro re nata & us ad-
 „ dendus, quo sæpius, admixtis ca-
 „ tharticis, purgandus est adfectus, &c.

e) *Sulphurata unguenta.* „ Nos,
 „ inquit D. PANAROLUS (p), huic
 „ morbo (tineæ) optimum observavi-
 „ mus remedium; plures etenim, qui
 „ eo usi sunt, præsertim pueri, pristina
 „ fuerunt restituti sanitati. Videli-
 „ cet fiat unguentum ex sulphure,
 „ axungia, et succo limonum, et cum
 „ eo, abrasis (non evullis) prius ca-
 „ pillis, fiat inunctio, ubi tineæ infe-
 „ stat, vespere per 3 vices, alternis
 „ diebus, dummodo prius corpus pur-
 „ gatum fuerit: facta inunctione, per
 „ dies 5 sequentes nihil agi debet; qui-
 „ bus transactis fiat ablutio capitis
 „ cum decoctione malvarum. Vide-
 „ bis lector mirandam rem, nempe bre-
 „ vi tempore morbum superari, nec
 „ amplius regredi, si cum diligentis
 „ supra enarratis applicetur inunctio,
 „ et postmodum ablutio „ Unguen-
 „ tum ergo ita parabitur:

(p) Pentec. 5. Obs. 31. p. 327.

℞. Fl. sulph. ʒʒ, subig. et pistentur probe cum Axung. porc. s. q. in mort. lap. irrorando Succo Limon. frequenter. Hinc lento Δ^c parum ebulliant, F. Ungv.

f) *Terebinthinata unguenta.* A. THONERUS (q) feminæ tineam siccam crustosam cum totius capitis alopecia ac universi corporis scabie sicca habenti, præmissis cathartico, et lavamento (e Lapath. acut. cum toto, Fumar. Malv. aa. M. j. Fabar. excortic. M. ʒ, furfur. M. j. decoct. in lixivio), aliquot matutinis usurpando, dedit unguentum
 ℞. Tereb. ∇^a Ros. lotæ ʒv.
 Ungv. Rosat. ʒijʒ. M.

Quo intra 8 dies omnis tinea prorsus depulsa est; scabies vero acidularum Gœppingensium potui balneoque per mensem usurpato omnino cessit. Retulit ægra, unguenti odorem se perquam diu in ore sensisse.

ff) *Acida mineralia* denique fere maximo cum successu hic tentata sunt,

(q) Obs. med. L. 4. Cap. de scabie, obs. 14.
 p. 210.

adeo ut forte multorum curatio, quia
 ꝯ libus convaluere, non tam ꝯ io quam
 acidis hisce illi copulatis sit tribuenda,
 solis nempe venereis tineis exceptis.
 Huc itaque referenda est methodus ti-
 neam curandi, quam sibi semper suffe-
 cisse hactenus expertus est KÜHNÉ apud
 J. G. FRITZIUM (r), nimirum resinam
 albam cum admixta pauca farina seca-
 lina, ut ductilior evadat, linteo crasso
 inducit, istudque in longas lacinias par-
 vum digitum latas scitum, et calore
 prunarum candentium emollicum, ut
 melius adhærescat, locis tinea affectis,
 abscissis ante forfice capillis, imponit,
 laciniasque, ubi refrigere, (quod bre-
 vi admodum evenit) denuo lente, ne
 multos creet dolores, aufert, quas ca-
 pilli quoque morboſi iis adhærescentes
 sequuntur. Tum sequentem litum
 adhibet:

R. ꝯ ii ꝯ j in ∇F s. q. soluta
 cochlear castaceum,
 Oleilini cochlear vulgare M.

Hac miscela bis in dies loca affecta im-
 buit, ut prorsus penetrentur, idque

(r) l. e.

tamdiu , quoad omnes crustæ abscesse-
rint, cutisque pura et sicca evaserit;
quod intra breve tempus obtinetur, ca-
pillis quoque, qui periere, recreſcen-
tibus. Si æger cetera sanus est, inter-
ne tantummodo aliquoties catharticum
e jalappa cum ꝑ^o dulci exhibet; sin
alius simul adſit morbus vel humorum
acrimonia, huic perinde pro re nata
medetur. Nuper autem eodem profus
cum ſucceſſu apud nos quatuor in ægris
Spiritu ſalis acidum tentavit Cl. Prof.
PLENCK, quorum historias in addita-
mento ſuæ diſſertationis in lucem vul-
gavit J. F. RÓSA (s). Formula, qua
adhibitus fuit, eſt :

℞. Ungv. althææ ꝑiij

Spir. ſal. comm. acidi a ꝑj
ad ꝑx ſenſim aſcendedo, M.

g) *Compoſita* ex pluribus hætenus
dictis ungenta, qualia præſertim com-
mendant ſibi aliisve experta,

P. FORESTUS (t):

℞. Butyri ſaliti

Axung. porc. aa ꝑj.

(s) Diſſ. de hysteriide (8vo Budæ 1782)
p. 115. ſqq.

(t) l. c. Obſ. 20.

Sulph. ꝑ̄ prius cum
 ꝑ̄ vivi saliva extincti ꝑ̄j. ·
 Vitriol. crudi ꝑ̄j. M. F. Liqum.

„ Est autem (ait FORESTUS) hoc
 „ præstantissimum remedium in tinea
 „ quantumvis inveterata et ab omnibus
 „ incurabili judicata, modo universa
 „ præcesserint, et præparatoria ac
 „ purgatoria medicamenta, et unguen-
 „ ta crustas emollientia, demum deter-
 „ gentia, ac alia linimenta . . . Hoc
 „ equeidem linimento jam dicto, capite
 „ prius loto, mane stomacho jejuno
 „ usus sum in illis, qui nullis aliis re-
 „ mediis curari poterant „ Plura si-
 „ milia apud Eundem (u) videri possunt,
 „ inter quæ præsertim notatu dignum est
 „ sequens (x) GORDONII unguentum;

℞. Ellebori albi et nigri
 Sulph. vivi
 Lithargyrii
 Calc. vivæ
 Vitrioli
 Aluminis
 Gallarum

(u) Ibid. Obs. 17. 18. 21. 22. 24.

(x) Ibidem obs. 22.

Fuliginis oris furni

Ciner. clavell. aa ʒʒ

ʒ vivi extin&i

Viridis æris aa ʒij. M. F. ♂

miscendus cum sequentibus:

℞. Succor. - Boragin.

———— Scabios.

———— Fumar.

———— Lapath. acut. aa ʒij.

bulliant simul igne lento cum

Fece olei antiqui et aceto.

Tum addo

♂ prius dictum, et sub finem

Picis liquidæ ʒj.

Ceræ novæ q. s. F. Ungv.

„ Cujus efficaciam scribit VALESCUS
 „ adeo magnam esse, ut in multis fue-
 „ rit expertus, præcipue vero in qua-
 „ dam juvencula, cui tinea duraverat
 „ fere per 14 annos . . . Estque illud
 „ procul dubio tantæ virtutis, ut in
 „ corpore prius repurgato et mundifi-
 „ cato omnem infectionem per scien-
 „ tiam humanam curabilem sanet, si-
 „ ve sit tinea, sive scabies, sive ma-
 „ lum mortuum, sive morphea, et
 „ ideo in reverentia et in honore ha-
 „ bendum „. Valentissima utique ad
 „ curam horum malorum complectitur.

J. STORCHIUS (y) utile reperit sequens :

℞. ♂ gran. coccul. ℥ij.

— Vitrioli crudi

Ungv. pedicul. aa ℥j.

◦◦. ☐ per deliq. ℥ss.

Butyr. liqvat. ℥bj. M.

I. I. WEPFERUS (z) narrat puerum II annor. epileo pueri alius (procul dubio tineosi) capiti suo imposito 3 crustas nactum esse, unam circa verticem, aliam in syncipite lævo versus occiput, huicqve vicinam aliam, $\frac{1}{2}$ thalerum latus, dorsum cultri crassas, griseas, cum pruritu subtus, concoloribusque earum e medio enatis pilis, ac furfuribus cutem in ambitu aliquousque tegentibus. Crustis ablatis abrasive sequebatur ichor flavus (aliquando sanguis tenuis), et parva cutis ulcera, nonnulla milii seminis capacia. Crustæ excisæ etiam renascebantur. Frustrâ variis biennio adhibitis, tandem WEPFERI svasu crustæ bis terve per heb-

(y) l. c. anno 2. p. 426.

(z) Obs. de affect. capit. Obs. 212 p. 962. sqq.

domadam .°. ☐ per deliq. tactæ , illi-
tumqve unguentum

℞. Ungv. Pomati ℥j℞.

Sacch. b ni ℥ij.

℥ dulc. ℥℞.

.°. ☐ per del. ℥j. M.

A qveis tinea disparuit.

7. *Dropaces* deniqve superfunt, ex-
tremum in contumaci tinea remedium :
descriptionem usumqve eorum reperire
est apud M. G. PURMANNUM (a),
aliosqve. I. STORCH (b) tantum
huic remedio tribuit , ut quemadmo-
dum lues ♀ absqve ptyalismo remediis
vulgatis difficulter cedit , perinde ti-
neam veram absqve dropacibus radici-
tus curari difficulter posse dixerit. Et
verò experientia idem svadet ; nam D.
FISCHERUS (c) puero quinquenni,
cui tinea sicca totam capillatam capitis
partem obsedit cum raris capillis , ca-
chectico , cum frustra vacuantia , anti-
scorbutica , tum ipsum etiam laudatum

(a) l. c. C. 14.

(b) l. c. p. 425.

(c) Annal. Vrat. Tent. 13. A. 1720. Jul. Cl. 2.
§. 3. p. 44. 1q.

FORESTI (*d*) unguentum adhibuisset, demum evullis dropace capillis, remedia priora denuo usurpata sanitatem attulere. Perinde feliciter successit res in virgine P. SORBAITII (*e*), binisque puellis PURMANNI (*f*). Rejicit tamen MARQVETUS (*g*) dropacēs, ut remedium barbarum, dolorificum, et interdum plus trigesies, donec profus sanet, iterandum: sed raro sæpius (opinor) quam semel atque iterum est repetendum, si ægri corpus bene aliis prius remediis fuerit præparatum; quo neglecto quid mirum, si ne sæpius quidem admoti dropaces proficiant! Mitius eos applicat KÜHNE apud J. G. FRITZE (*b*).

8. *Vesicantia* in repulsa tinea revocanda, morbisve ab ea repressa ortis tollendis, ut in ETTMÜLLERI (*i*) casu accidit, utiliter adhibentur; quæ si pueri timidæve matres reformident,

(*d*) Vide præc. No 6. g).

(*e*) Med. pract. Tract. 6. C. 14. fol. 757. sq.

(*f*) Vide prognos. No 2. a).

(*g*) l. c.

(*b*) l. c.

(*i*) Vide prognos. No 3.

eorum loco etiam *Betæ folia* capiti admota, teste SAUVAGES (k), tineam repressam, ejusve siccatae fluxum, revocant, „Filia BRUSQVETI laborabat „tinea, habebat achores in capite, „ex quarum suppressione incidit in tremorem corporis. Ego, inquit DURATUS (l), et HOLLERIUS admovimus betam rubram calefactam, „cujus calore exsudavit humor suppressus, et quievit tremor „.

C. DIÆTETICA.

1. *Alimenta* non sine delectu ægris concedenda sunt: vetanda acria, fumo durata, pingvia, tenacia, potus nimis spirituosus, &c. (m); horum in locum blanda, aqvosa, medicata, &c. imperanda.

2. *Mundities capitis* a pure, pediculis, tegumentisque capitis sordidatis sedula tenenda.

3. *Matus corporis salubris* faciendus.

4. *Aer humidus frigidus* vitandus, siccus calidusque concedendus.

(k) Nosol. meth. T. 3. P. 2. p. m. 411.

(l) Schol. ad HOLLER. de morb. intera. C. 55. p. m. 579.

(m) TRIOEN. l. c.



S Y L L A B U S
A U C T O R U M.

A & nat. cur. 5.	Forestus 1. 8. 10.
Ægineta 2.	14. 19. 27. 30.
Annal. Vratisl. 11.	36. 37.
27. 40.	Fritze 29. 35. 41.
Baldinger 11.	Genselius 11.
Baricellus 29.	Gordonius 37.
Barnsdorff 27.	Haly Abbas 2.
Boetius 5.	Heer 20.
Bonetus 12.	Hoffmann 10.
Boyle 20.	Hollerius 42.
Commerc. Nor. 14.	Jaffoy 22.
Duncan 24.	Kirchmeyer 26.
Duretus 42.	Kramer 14.
Ettmüller 3. 6. 10.	Kühne 29. 35. 41.
13. 15. 19. 20. 25.	Lanzonus 12.
Fischer 40.	Lentilius 4.

Lorry 6. 13.	Saxonia 12.
Marcellus 2.	Scultetus 4.
Marquet 26. 30. 41.	Sorbait 41.
Misc. nat. cur. 12.	Stoeller 17.
15. 26.	Störck 15. 16.
Panarolus 33.	Storch 7. 8. 9. 10.
Platerus 9.	12. 39. 40.
Plenck 2. 6. 21.	Swieten 8. 14.
25. 36.	Thoner 34.
Purmann 8. 40.	Trioen 31. 42.
Qvarin 21.	Valescus 7. 27.
Rhases 19.	Velsch 15. 26.
Riedlin 10.	Wepfer 39.
Rósa 35.	Wolff 5.
Ruef 14.	Zacutus 19. 23. 28.
Sauvages 42.	

